

Etorum in vita mortali, sed cœlis & seculo futuro reservatam. Quod autem ad primitias, pignus & arrhabonem talis cognitionis & beatitudinis, quæ sanctis in vita mortali communicentur, attinet; equidem non negant Nostri, hæc revera conferri; negant autem, ea importare intuitivam Dei visionem, atque a beatitudine futura tantum ratione durationis differentem, seu per hoc, quod, cum beatitudo visionem Dei perpetuam, incessantem & æternam inferat; primitiæ ejus visionem Dei eandem, sed *ad tempus quoddam* concessam, importent.

XXV. Nititur autem sententia nostra negativa ipsis S. Scripturæ testimoniis, quibus negatur, intuitivam Dei cognitionem nobis in hac vita obtingere. Clarissimus est locus *1. Cor. XIII, 12*. Ubi Apostolus collationem præsentis & futuræ vitæ, quoad cognitionem rerum spiritualium ac divinarum, circa quas prophetia & fides occupetur, ex professo, quod ajunt, instituens; dicit: *Videmus nunc per speculum in enigmate; tunc vero cognoscam, quemadmodum & cognitus sum*. Opponuntur ergo hoc loco τὸ βλέπειν δι' ἐσόπτρου, *videre per speculum; & βλέπειν πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, videre facie ad faciem*: quorum illud, desumptum a *speculo*, quod non rem ipsam, sed imaginem tantum ejus intuentibus objicit; ad cognitionem Dei & rerum divinarum designandam translatum, idem est, ac cognoscere Deum, & ea, quæ sunt Dei, non in se, sed velut in imagine, median-
tibus signis ac speciebus impressis: quæ quidem *vel* a rebus creatis desumptæ sunt, *vel* per inspirationem internam, *vel* per verbum externum, seu vivæ vocis, seu scripti, quo Deus & res divinæ, potentiæ cognoscitivæ repræsentantur, obtingunt & intellectui inhærent; *posterius* autem, seu τὸ *videre a facie ad faciem*, sicut proprie loquendo idem est, ac rem ipsam, non intercedente aliqua ejus imagine, quæ vicem rei ipsius sustinens, oculo nostro objiciatur, cernere; ita ad cognitionem Dei translatum, idem est, ac Deum per se immediatè & absque specie impressa cognoscere. Itaque vi oppositionis inter id, quod *nunc* est, atque aliquando *obolebitur*; & id, quod nunc non est, sed *tunc* demum post hanc vitam, abolita imperfectione hujus vitæ,